

XXXV. *Gradus adiectivorum: positivus, comparativus, superlativus.*

a) ¶ Ubi peccat aetas maior, male discit minor. ¶ Bona opinio hominum tutior pecunia est.

b) ¶ De Solone et Croeso. Solon ille sapiens, a quo leges Atheniensibus utilissimas scimus esse promulgatas, etiam plurima in vita sua fecit itinera. Aliquando precibus adductus Croesi, Lydiae regis, Sardes venit; in hac urbe erat Lydorum regnum. Croeso autem (qui sese pro divitiis suis putabat omnium hominum beatissimum) animus fuerat non tam audire Solonem aut discere quicquam, quam felicitatem suam ostendere viro sapienti. Ubi ergo Solon iam ipsum ad regem est perductus, Croesus omnes ei ostentabat thesauros reliquumque apparatus ac luxum; sane enim nemo tum lapides possidebat pretiosiores, venustiores vestes, regiam lautiolem omnemque ornatum vel auro splendidiorem vel subtiliore confectum artificio.

Denique Solonem interrogavit Croesus: „Num ullum umquam hominum me vidisti beatiorem?” Ad quae ille: „Immo”, inquit, „noveram quendam Tellum, civem meum, optimum virum; qui et egregios post se filios reliquit et rem familiarem sufficientem, quique ipse praeclare pro patria pugnans honestissima occubuit morte”. Alios quoque viros, qui mortem obierant, quasi fortunatissimos nominavit. Tum rex, qui interim hominem coepit mentis parum compotem putare, prope iam in iram accensus: „Nos vero”, inquit, „in numero beatorum hominum non habes?” Cui Solon ita respondit: „Cuique, o rex Lydorum, variae res futurae, de quibus certi quicquam nec constat nec umquam constabit, ingruunt. Cui ergo res secundas usque ad diem extremum dii prorogarunt, hunc felicem esse statui. At viventi adhuc felicitas quae tribuitur, non certior est quam victoria, quae viro tribuitur adhuc decertanti”. Ubi hoc responsum dedit, abiit.

causa (+ gen.) – tu: w celu

Croes|us, -i m. – Krezus, sławny z bogactw król Lidii

futūrus, a, um – ten, który ma nastąpić; przyszły

itinera → iter

Lydi|a, -ae f. – Lidia, kraina w zach. Azji Mniejszej

Lyd|us, -i m. – mieszkaniec Lidii

regn|um, -i n. – tu: centrum decyzyjne, stolica

Sard|es, -ium f. pl. – Sardes, stolica Lidii

Sardes (acc.) venire – przybyć do Sardes

sese = se

Sol|o(n), -onis m. – Solon, jeden z siedmiu mędrców

pro (+ abl.) – tu: stosownie do, ze względu na

ubi – tu: kiedy